

utroque trahunt immobile firmamentum. Notum igitur esse volumus omnibus tam praesentis quam futuri aevi Christi fidelibus, quod ad preces fidelium nostrorum Alberti de Burne dapiferi senioris et Alberti filii sui curiam sitam iuxta murum in civitate nostra Misna prope portam eiusdem civitatis nostrae nunc obstructam, quae quidem curia olim a nobis tenebatur in feodo, filio dicti dapiferi Johanni videlicet canonico Misnensi, nostro capellano cum una semita seu platea, quae olim fuit inter curiam dicti Johannis et curiam magistri Conradi quondam archidiaconi Nysenensis, quae quidem platea iam adiuncta est et diu fuit ex nostra donatione dictae curiae Johannis, damus titulo proprietatis possidendam, ita quod eandem curiam de cetero dare donare vendere alienare et distrahere possit pro arbitrio suae voluntatis, eodem titulo proprietatis cum dicta platea perpetuo possidendam. In cuius rei evidens testimonium praesentem litteram dari fecimus sigilli nostri munimine roboratam. Datum et actum Dresden anno domini M^o.CC^o.LXXXVII^o. nono Kalend. Januarii. Testes huius sunt Frydericus filius noster dilectus iunior, Albertus dapifer senior de Burne et Albertus filius suus, Rudegerus de Schachowe, Albertus de Luppe, Vlricus et Hermannus fratres de Maltycz, Frydericus magister coquinae, Hermannus de Tannenvelt et quam plures alii fide digni.

Nach dem Orig. im Stiftsarchiv zu Meissen mit dem schadhaft gewordenen grossen Reitersiegel des Markgrafen an rothen, grünen und gelben seidenen Fäden.

Wilkii Ticemannus. Cod. dipl. p. 62 sq.

No. 18. 1288. 2. Nov.

Der Domherr Conrad von Boruz eignet dem Hospital Getreidezinsen in Cölln und mehreren andern Dörfern und trifft wegen Verwendung derselben eingehende Bestimmungen.

Ego Conradus de Boruz canonicus et custos ecclesiae Misnensis in sanitate constitutus timens varia, quae circa miserum statum hominis solent pluries evenire, (saepe namque contingit, ut qui hodie vitam ducit incolumem, cras de praesentis vitae medio sit sublatus) de subscriptis meum sic decrevi condere testamentum. Mansum et quatuor agros hereditarios mihi solventes annuatim duas maldratas siliginis, duas avenae et unam maldratam ordeï, item dimidium mansum cum priore situm Coloniae emptum a domino Petro suisque fratribus, qui a domino Wicnando de Herstein habebatur iure hereditario et habetur, de quo medietatem titulo locationis percipio, cum sex solidis census annui qui debentur de curia Jacobi iuxta macella proprietatis titulo quae habetur, insuper decimam solventem annuatim quatuordecim vel quindecim maldratas siliginis et avenae mensurae Dresdenensis sitam iuxta Dresden in villis quarum nomina subsecuntur: Gniwalitz^a) octo scocos siliginis et avenae aequaliter, Zuzodel^a) tredecim scocos, Knickewitz^a) tres scocos, Crawas^b) quatuor scocos, Donyn^c) novem scocos, Clebe^d) quinque scocos, Tyzawitz^e) tertium dimidium scocum, Muse-

a) Unbekannt; wahrscheinlich jetzt Wüstungen. (Zuzodel, Zuschendorf; Kolchowe, Luga?) b) Krebs, Par. Dohna. c) Dohna. d) Kleba, Par. Possendorf. e) Theisewitz, Par. Possendorf.